CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED,

H. T. FACVLTATIS MED. DECANI

PROGRAMMA AVSPICALE

DE

CHIRVRGIA MEDICIS

VINDICATA ET NECESSITATE
RELIQVARVM MEDICINAE PARTIVM
AD CHIRVRGVM PERFECTVM

PRAEMISSVM DISSERTATIONI
INAVGVRALI

DE

FLVORE ALBO BENIGNO

CL. DOMINI DOCTORANDI

IOANNIS GOTTLIEB HENTRICH,

AVERSTADIO - SAXONIS.

IENAE

LITTERIS IO. CHRISTOPH. TENNEMANNI.

7

Mirabilem ſane nexum, arctiſſimumque amicitiae vinculum amant artes et ſcientiae, vt, neglecta quaedam, reliquas contemtoris inueniat vltrices. Euidentiſſimo hoc videmus exemplo, in iis ſtudiis, quae Medicinae cancellis inſcripta ſunt. Exemplo nobis ſit ſtudium chirurgicum, quod aliis deſtitutum medicinae partibus, nobiliſſimam ſuam praeſtantiam, inter abiectiſſimas plebis ſordes reiectam videt. Et mirandum, quod in tanta artium et ſcientiarum luce, vbi et chirurgia noſtra in aprico eſt conſtituta, tam varia eandem pati fata, vt multi etiam eruditorum, imo quandoque medicorum, nec eiusdem naturam, nec ambitum, nec praeſtantiam, nec ipſam cum reliquis medicinae partibus arctiſſimam reſciant affinitatem, aliis laudi ac praeſtantiae ipſius addendo, aliis auferendo, peccantibus.

Dolendum ſane, tam abiectas quandoque ab eruditis aliis viris de chirurgia ferri ſententias, vt eum medicum, qui operationibus chirurgicis operam dat, vix medici nomine dignum, certe in reliquis medicinae partibus ac fugandis morbis minus exercitatum reputent. Et certe, animus meus, eiusmodi vel ex ignorantia, vel ex inuidia natis conuiciis, ſaepius ita fluctuauit, vt nobiliſſimum hoc parergon negligere ſtatuerim, praeſertim, cum viderim a liuidis quibusdam vanae gloriolae ſtudioſis, credulis aegrotis ogganniri, quod hic vel ille medicus in externis ſal-

tem corporis humani naeuis mederi ſciat, vbi de eo, exercitium chirurgicum ſimul compertum habuerint, alii labores chirurgicos infra medici dignitatem reputauerint, ita vero dubius haerens, a nobiliſſimis verae eruditionis ſectatoribus, imo ipſis Principibus excitatus fui, vt nugas eiusmodi reiecerim, animumque ad nobiliſſimum illud parergon reduxerim.

Eſſe autem mere medicinae partem chirurgiam, ex ipſa medicinae definitione, clarum eſt, quippe quae eſt ars, conſeruandi ſanitatem et amiſſam reſtituendi, cum vero et internis et externis morbis obnoxii ſimus, vtique ſuccurrit medicina, ita quidem, vt ab hac ſeparare chirurgiam, idem eſſet, ac nobiliſſimae arti medicae dextram abſcindere ac eandem mutilam reddere, et contra chirurgiam omnibus deſtitutam viribus, ad quaeuis tentamina ineptam relinquere.

Chirurgia enim, quae morbis medetur externis, qui manuum indigent opera, non tantum manus atque pedes abſcindit, corpus lacerat atque crudelitatis tuetur faciem, ſed et atrociſſimos dolores lenit, laceratas partes componit, abſciſſas, ſaepius reſtituit, aut leuamen quaerit, vbi praeternaturaliter disiuncta vnit, vnita disiungit, corrupta ſeparat, amiſſa reſtituit et figuram corporis humani deformem emendat. Quamcunque autem, in hominis ſalutem ſuſceperit operationem, chirurgus, rarius optatum obtinebit finem, expers reliquarum medicinae partium. Anatomiam ſi reſpexeris, omne chirurgiae fundamentum ruere videbis, ſi chirurgus eandem neglixerit. Cumque eidem et tota ars medica ſuperſtructa compareat, in huius neceſſitate breues ſimus. Cum vero et phyſiologiae et pathologiae et ſemiotices notitiae, quodammodo remotior vſus in chirurgia videatur, quaeſo adeas vulnera viſcerum nobiliorum, a penetrante per exiguum foramen inſtrumento facta et ignores functiones viſcerum naturales et ſigna quaeras viſceris laeſi ac de euentu iudices, imo temperamentorum doctrinae expers, curam aggrediaris illotis manibus; certe aut opus

aggredi

aggredi erubueris, aut coecus coecum ducere ſtatueris. Maxime autem pathologicis principiis deſtitutus chirurgus, grauiora vulnera ſanare ac operationes ſuſcipere plane ineptus eſt. Non enim ſufficit vt naeuum corporis externum, anicularum more, ſaltem conſpiciat, ſed vt in totam machinae humanae fabricam ac praeternaturalem conſtitutionem inquirat, plethorae genium, cacochymiae diuerſae imprimis rationem habeat ac laeſae proportionis miſcelae humorum disquiſitionem moliatur, pharmaciaeque ita gnarus ſit, neceſſe eſt, vt conſtitutioni praeternaturali internae prius opem ferat, antequam curae externae felicem expectet euentum. Siue enim vulnus inflictum caſu, ſiue a chirurgo per artem factum, ſiue vlcus curam vrgeat, fruſtra vnionem labiorum vulneris vel vlceris expectabis, niſi humorum intemperiem perſpexeris ac craſin debitam reſtitueris ac gluten illud pretioſiſſimum, lympham puto, ita praeparaueris, vt labia vulnerum ac vlcerum iungere aut carnis defectum reſarcire potueris.

Luculentiſſime inde patet, in ſanandis vulneribus, vlceribus ac operationibus perficiendis, chirurgum et anatomiam et phyſiologiam et pathologiam et ſemioticam et pharmaceuticam et diaeteticam optime callere, verbo, conſtitutionem internam aegri perſpicere, ſymptomatibus occurrere atque medicinam facere et verum medicum agere debere, aeque ac illum medicum, qui ad chirurgicas operationes animum non adiecit, ſed ſolis internis morbis proſpicit.

Nullus igitur dubito, vindicandam eſſe medicis chirurgiam, nec verum chirurgum exiſtere, niſi qui ſit medicus, et hinc ille, qui ſola externa, ſine cognitione reliquarum ad artem medicam ſpectantium diſciplinarum, tractare didicit, ſymptomatibus aeque ac conſtitutioni aegrae internae occurrere neſcius, quales noſtri, hodie ſunt chirurgi, vtique ſubiectus eſſe debeat medico, et directioni eius cedere, imo Doctori Medico, qui animo ſatis conſtanti ad operationes chirurgicas ſuſcipiendas prae-

ditus eſt, vtique liberum eſſe, chirurgicis operationibus operam dare, vtpote qui priuilegiis Caeſareis inſtructus eſt, ad medicinam integram, eiusque omnes partes et ſic etiam chirurgiam, docendas et praxin internam et externam exercendam. Ex hisce fundamentis Illuſtri Facultati Medicae Pariſienſi hoc ipſo anno aliter reſpondere non potuimus, quaeſiti, annon Chirurgi noſtri, in operationibus et caſibus chirurgicis ſubiecti ſint ordini medicorum atque medicis in facienda chirurgia debeant obtemperare? his quoque rationibus adducti, Nobiliſſimo Doctori SCHLICHTING Amſtelodamenſium practico celebri ac felici nuperrime reſpondere a facultate noſtra decretum eſt, Doctorem medicum, priuilegiis Caeſareis inſtructum et medicamentis et manuum operatione et leuiore et grauiore morbis humani corporis et internis et externis mederi poſſe ac debere; chirurgorumque cohortem, medicorum directioni eſſe ſubiectam. Nec medicus opus habet miniſtro chirurgo, qui eo non indiget. Nec chirurgus, ſed medicus de cura, ſiniſtre adminiſtrata tenetur, hinc et medicus chirurgum dirigere, non vero chirurgus propria agere auctoritate veniam habet. Et ſane mirandum, ſi chirurgi in animum induxerint, medico praxin chirurgieam prohibere, aut in morbis externis fugandis ſuperiores eſſe, cum ars eorum, nimis arctis incluſa cancellis, nec corpus aegrum ad ſuſtinendam operationem praeparare, nec ſymptomatibus occurrere, nec conſtitutionem praeternaturalem aegri iuuare ac lympham corrigere, aut curam ad felicem perducere finem poſſit, niſi reliquis medicinae partibus adauctus operi perficiendo ſuffecerit. Haec ſunt, quae praemittere placuit, inuitationi ad diſſertationem inauguralem clariſſimi Domini Doctorandi

IOANNIS GOTTLIEB HENTRICH
AVERSTADIO-SAXONIS

cuius vitae curriculum, prout ipſe exhibuit, adiicimus.

Natus ſum Auerſtadii, Anno MDCCXVII. Patre

Viro nobiliſſimo Domino Ioanne Hentrichio, Regiarum ibidem Poſtarum Inſpectori meritiſſimo, Matre Anna Rosina Altweinia, conſulis Eccartsbergenſis Filia. Chariſſimi hi Parentes, priuatae informationi me tradiderunt vsque ad annum decimum. Poſthinc ſuaſu Praeceptoris mei, ad ſcholam Numburgenſem me miſerunt, ibi per quinque annos ad addiſcendas litteras elegantiores omnem adhibui diligentiam.

Et quoniam vero ſingularis inclinatio, ad artem pharmaceuticam in me deprehendebatur, Parentes chariſſimi, nunc vero beate defuncti, Inſtitutioni me tradiderunt praeſtantiſſimo et in arte ſua experto Viro Weidnero, Pharmacopaeo aulico Leucopetrenſi cuius inſtitutione per quinque annos continuata, artem didici pharmaceuticam. Hiſce annis abſolutis, varia frequentavi pharmacopolia, itineribus hiſce pro abſoluenda et perficienda arte pharmaceutica, per decem annos continuatis, tandem Leucopetram redii. Cumque ſingulari ferebar deſiderio, artem addiſcendi medicam, prouiſorem egi officinæ beati Illuſtris et experientiſſimi Domini Conſiliarii Aulici, Doctoris Siitemanni, eiusque collegiis phyſiologicis, pathologicis et ſemioticis interfui, nec non, eo duce, ad praxin me applicaui medicam. Nunquam vero ſatis depraedicare potero, Viri praenobiliſſimi, doctiſſimi et experientiſſimi Doctoris Iohannis Danielis Mittelhaüseri Phyſici et Medici Leucopetrenſis feliciſſimi, inſtitutionem, illosque labores, quos in me erudiendo collocauit. Permiſit enim vt lectionibus ſuis doctiſſimis, tam anatomicis quam potiſſimum pathologicis et praecipue illis de congeſtionum et inflammationum vniuerſalitate, intereſſe potuerim atque exinde eximium capere fructum. Neque reticere poſſum candorem atque doctrinae ſoliditatem Viri praenobiliſſimi atque experientiſſimi Doctoris Ottonis, qui varias medicinae partes me docuit, et mihi, Praxin medicam exercenti adſtitit. Leocopetræ ſic per plures annos

com-

commoratus, Cizam conceſſi ibique propriam mihi comparaui officinam pharmaceuticam.

Deliciis autem artis medicae allectus, Erfordiam me contuli, ibique, Rectore Magnifico GVNTHERO in numerum ſtudioſorum receptus ſum. Rei vero familiaris neceſſitas coegit, vt domum redirem, illique prouiderem. Quo vero ſoliditatem eo maiorem in arte ſalutari acquirere poſſim, iterum Virum experientiſſimum atque Medicum ſeniorem Leucopetrenſium, Doctorem MITTELHÄVSERVM adgreſſus ſum, eiusque inſtitutione priuatiſſima, per omnes partes medicinae vſus, eiusque auxilio ac vlteriori eruditione ex inclytis ſalanae gratioſae facultatis membris hauſta, ad ſummos in arte ſalutari acquirendos honores animum adieci.

Acceſſit itaque ad nos clariſſimus Dominus Doctorandus, et conſueta examina cum laude ſuſtinuit. Hinc ipſi conceſſum eſt noſtra Facultate, futuro die XIII. Xbr. horis locoque conſuetis diſſertationem inauguralem de fluore albo benigno, me Præſide, defendere. Vt vero ſplendidior actus noſtri ſit inauguralis, Vos, Patres Academiae venerandos, Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimos, generoſiſſimos, nobiliſſimosque Dominos Commilitones, ea qua decet, obſeruantia ac humanitate inuito. Dabam Ienae Ann. 1749. die X. Xbr.

L. S.